Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Dissertatio Exegetico-Theologica In Locum 1 Joann. V, 6-10.

Rostochii: Typis Adlerianis, MDCCCVIII.

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1006676260

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN OCR-Volltext

DISSERTATIO EXEGETICO-THEOLOGICA

IN LOCUM

I JOANN. V, 6 — 10.

QUAM

CONSENTIENTE MAX. VENERAB. ORDINE THEOLOGICO

ROSTOCHIENSI

PRAESIDE

JOANNE CHRISTIANO GUIL. DAHL,

THEOLOGIAE DOCTORE ET PROF. PUBL. ORD.

CONSISTORII DUCALIS ASSESSORE

ET SEMINARII PAEDAGOGICO - THEOLOGICI DIRECTORE

IN

AUDITORIO HUIUSCE SEMINARII

DIE XXI. MENSIS SEPTEMBRIS MDCCCVIII

DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS GENZKEN,

SUNDENSIS,

REV. MINIST. CANDIDATUS.

ROSTOCHII,

TYPIS ADLERIANIS MDCCCVIII.

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

STIPENDII LEVIANI

COLLATORIBUS AMPLISSIMIS,

VIRO

SUMME VENERANDO, EXCELLENTISSIMO,

DOCTISSIMO,

ADAMO CHRISTIANO FABRICIO,

SS. THEOLOGIAE DOCTORI DIGNISSIMO,

ET

ECCLESIARUM SUNDENSIUM SUPERINTENDENTI VIGILANTISSIMO

NEC NON

VIRO

GENEROSO ATQUE CONSULTISSIMO

RUDOLPHO GUELICH,

CIVITATIS SUNDENSIS SYNDICO PRIMARIO,

PATRONIS AC FAUTORIBUS

AETERNUM COLENDIS

HANC DISSERTATIONEM

OMNI, QUA DECET, OBSERVANTIA

OFFERT

AUCTOR.

Quum beneficio Leviano, quo theologiae ſtudioſis Sundiae natis frui licet, ab ejus collatoribus ampliſſimis liberaliter ſim donatus, quumque hujus inſtituti leges poſtulent, ut, quicunque ſtipendii particeps fieri velit, tanquam ſpecimen academicum in lucem proferat diſputationem de quadam re e diſciplinarum theologicarum copia hauſta: legibus praeſcriptis ſatisfacturus, locum 1 Joan. V, 6—10 paulo accuratius tractandum mihi propoſui. Hi verſus quidem jam a pluribus librorum ſacrorum interpretibus expoſiti ſunt, v. c. a viris celeberrimis *Moro* [1]), *Langio* [2]), *Zieglero* [3]), *Knappio* [4]), aliisque: attamen ab illo, hac in commentatiuncula petito fine non alienum erit, in loco N. T. vexatiſſimo, jam ab aliis diſquiſito, denuo operam ponere. Tantum vero abſum, ut opuſculo meo, arti exegeticae comparari poſſe fructum ullo modo putem, ut potius nihil aliud aſſequi ſtuduerim, niſi, ut viris, quibus beneficio in me collato obſtrictus teneor, pro virium mearum modulo probarem, me per curſum vitae academicae haud absque ſedulitate atque fructu diſciplinarum theologicarum ſtudio operam navaſſe. Caeterum in hac diſputatione ita verſabor, ut *primo* interpretationem loci noſtri exegeticam, quae mihi quidem probabilior videtur, uberius exponam, *deinde*, quid hi verſus in theologia dogmatica probare poſſint, diiudicem, et *denique* pauca de populari eorum uſu adiiciam.

---

1) Vide ejus praelectiones in tres epiſtolas Joanneas (Lipſiae 1796) pag 57. ſeqq.

2) Cf. ejus librum, qui titulum prae ſe fert: *Die Schriften des Johannes, des vertrauteſten Schülers Jeſu, überſetzt und erläutert von* Dr. *Samuel Lange* (Weimariae 1795) T. III. pag. 134 ſeqq.

3) Vide ejus: *Bemerkungen über einige ſchwierige Stellen und Ausdrücke der Briefe Johannis*, in libro menſtruo ab ill. *Gablero* in lucem emiſſo: *N. theolog. Journal* 1799. 8tes Stück. S. 109. ſeqq.

4) Cf. ejus commentationem in locum Joan. V, 6—11 in: Scriptis varii argumenti, maximam partem exegetici (Halae 1805) Tom. I. p. 170 ſeqq.

etiam male moratae vitae licentiam commendarent (III, 3—7. IV. 5.), ac praecepta proponerent, quae ab omni puritate morum et amore mutuo (III, 10 seq.) non abducere nequirent. Ejusmodi hominum perversitatem, morumque dissolutionem, quam vita et doctrina propagabant, Joannes Cap. III. et IV. iuste carpit, de errore ipsorum theoretico circa Jesum Messiam passim monet, praesertim vero in fine epistolae, loco jam mihi exponendo, quam impie sentiant divinam Jesu dignitatem negantes, demonstrat. Caeterum brevitas, qua usus, hac de re loquitur apostolus, satis ostendit, eum non tam refutare voluisse seductores, qui fidem Christianorum pervertere studebant, quam fideles in fidei constantia firmare, eosque, ut homines istos non audirent, nec ab illis seduci se paterentur, amice adhortari. Magis enim attingit, quam luculenter exponit argumenta pro auctoritate Jesu Messiae adferenda, persuasus sine dubio, nihil opus esse, nisi ut lectoribus in memoriam revocarentur, quae illis jam antehac satis exposita essent atque inculcata.

§. 3.

Loci nostri cum praecedentibus contextus hic est. In capitis principio ad sanctam puramque vitam apostolus adhortatur. Quicunque, inquit, persuasum sibi habet, Jesum esse Messiam, et secundum ejus praecepta vitam instituit, in numero est filiorum Dei. Ejusmodi homo non solum filios Dei, verum etiam Deum ipsum amat eique obsequium praestat, quia ejus praecepta non sunt difficilia, amore erga Deum vincente omnes difficultates. Cunctis enim malignorum hominum pessimis exemplis, quibus seducere eum student, pravisque cupiditatibus, ad vitia atque peccata impellentibus facile potest resistere. Est enim idoneus ad reportandam e certamine cum istis hostibus victoriae palmam. Si ille virtutis impedimenta superare non posset, nemo posset. — Persuasio vero, Jesum esse Messiam, seu filium Dei, firmissimis argumentis, ipsoque Dei testimonio nititur. Id quod loco, quem tractamus (V, 6—10), Joannes his verbis dicit: *Hic Jesus Christus venit per aquam et sanguinem, non per aquam solam, sed potius per aquam et sanguinem. Spiritus quoque hoc testificatur, siquidem spiritus verificus est. Tres igitur habemus testes, spiritum, aquam et sanguinem; et hi tres idem testificantur. Si hominum testimonium admittimus, Dei testimonium*

majus est. Hic habemus Dei testimonium, quod de filio suo dedit. Qui Deo non credit, mendacem illum facit, quia non credit testimonio, quod Deus de filio suo dedit. Cujus loci interpretationem, quae mihi quidem maxime probatur, uberius nunc exponam, perpetua eaque modesta ad diversas virorum doctorum sententias habita ratione.

§. 4.

Constructio primornm verborum commatis 6 durior est; sic illam solverim: Οὗτος Ἰησοῦς ὁ Χριστός ἐστιν ὁ ἐλθὼν δι ὕδατος καὶ αἵματος, et hunc in modum verterim: „Hunc Jesum Messiam reveremur, siquidem per aquam et sanguinem Messiam se declaravit, sive professus est.“ Ὁ ἐλθὼν emphatice dictum putem eadem ratione, qua ὁ ερχόμενος Matth. XI, 3. Joan. I, 9. VI, 14. ut sit: Messiam se profitens, monstrans, declarans. Declaravit autem sese Messiam primo δι ὕδατος. Obscurius hic loqui apostolum, manifestum est; quare non mirandum, in diversas sententias abiisse interpretes. *Grotius* vocem ὕδατος sensu symbolico accipit, ita ut vitae Jesu sanctimoniam significet. *Per aquam* [15]), inquit, *i. e. per vitam purissimam, quae per aquam significari solet, ut Ezech. XXXVI, 25. sive per lotionem, quod aquae est opus, ut Es. I, 16. Jer. IV, 14. et in signum hujus puritatis eum baptizavit Joannes baptista Joan. I, 28. quare, cum in omni actu sanctissimus fuerit, non est, quod de veritate ejus, quod dixit se Christum sive Dei filium, quicquam dubitetur.* Verum ~~enim~~ huic explicationi, etsi non careat quadam probabilitate, obstat, symbolicam istam τὸ ὕδατος significationem exemplis idoneis vix posse firmari. Illis a *Grotio* allatis minime probatur. Ibi enim memoratur aspersio sive lotio per aquam facta, qua quidem purificationem a peccatis indicari posse nemo infitias ibit. Inde vero non sequitur, aquam quoque ipsius puritatis esse symbolum. Qui enim aqua eget, purus non est; purus fieri potest, qui illa utitur, illa adspergitur seu lavatur. Purificationis igitur potius, quam puritatis symbolum aquam dixerim. Quare hoc

15) Vid. ejus annot. ad h. l.

vocabulum de virtute Jesu, sive de vita ejus sanctissima ac omni labe pura, loco nostro interpretandum esse persuadere mihi nequeo [16]). Praeterea etiam (quod jam a *Langio* ill. [17]) opportune observatum legimus), duorum verborum inter se conjunctorum alterum symbolico, alterum proprio sensu sumi non potest, quod tamen a *Grotio* factum, utpote qui αἷμα de morte Jesu cruenta intelligi velit.

§. 5.

Itaque aliam viam ingressi recentiores vocem ὕδωρ de baptismate interpretati sunt, quo sensu quibusdam N. T. locis, e. gr. Actor. X, 47 [18]), Ephes. V, 26 [19]) et Ev. Joan. III, 5 [20]) omnino occurrit. Varie tamen illud baptisma explicant. Alii nempe baptisma a Jesu institutum, alii baptisma, quo Jesus ipse a Joanne baptista imbutus sit, intelligendum esse arbitrantur. Priorem sententiam, b. *Carpzovio* jam praeeunte, Ven. *Knappius* [21]) tuitus est. *Judaeorum*, inquit, *opinio fuit, ut Messiam ejusque praeconem nova sacra baptismate auspicaturos esse putarent, id quod vel e locis Joan. I, 25. et Matth. III, 7. intelligitur.*

---

16) Cf. *Mori* praelect. p. 61.

17) l. c. pag. 142. „Ich weiss nicht, wie ein so geschickter Ausleger als Grotius dieser Erklärung Beifall geben konnte, da das Unsichre derselben so klar ist. Ὕδωρ soll ein bildlicher Ausdruck seyn, αἷμα hingegen ein eigentlicher und doch stehen beyde so nahe beysammen."

18) *Petrus* illis, qui e Judaeis christiani facti erant, mirantibus, ethnicos quoque, oratione ab ipso habita permotos ad Jesu doctrinam se adjunxisse, „quis", inquit, „illis non permittere velit baptisma (τὸ ὕδωρ), ut baptizentur, qui jam christianam acceperint fidem."

19) Christus, inquit *Paulus*, ecclesiam amavit et purgavit baptismate (λουτρῷ τοῦ ὕδατος).

20) Sensus hujus versus est, qui sequitur: „Affirmo tibi (inquit Jesus Nicodemo) neminem beatitatem aeternam assequi posse, nisi qui per baptismum publice declaret, sese meliorem vitam degere incepturum, et doctrina mea incitatus recte beneque agendo se revera emendatum praestet (ἐαν μὴ τις γεννηθῃ ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος).

21) l. c. p. 178 seqq.

Et Jesus quoque statim in muneris sui auspiciis baptizavit, deditque mandata discipulis ut suo nomine baptizarent. Joan. III, 22—26. IV, 1. 2. — — Ea igitur in re communi Judaeorum exspectationi de Messia Jesus plane satisfecit. Adsentitur cel. *Rosenmüllerus* [22]), qui explicatis aliis et refutatis interpretum sententiis hoc modo pergit: *Rectius ii, qui per τὸ ὕδωρ intelligunt baptisma: Institutione ejus Jesus exspectationi Judaeorum de Messia plane satisfecit.* Ponunt ergo viri docti testimonium de Jesu Messia δι ὕδατος datum, in eo, quod Jesus tum baptizando, tum baptismum instituendo exspectationem Judaeorum expleverit et ita Messiam sese monstraverit.

At vix ausim me adjungere ad hanc virorum doctorum sententiam, cui plura, me quidem judice, objici posse videantur. Primum enim ex Joan. IV, 2 patet, Jesum ipsum non baptizasse; Joannes enim expressis ibi verbis, *Jesus*, inquit, *non baptizavit*, sed discipuli ejus; quare, ne ipse sibi contradicat evangelista, in locis evangelii III, 22 26. et IV, 1. ἐβάπτιζεν et βαπτίζει vertendum non est simpliciter: *baptizavit*, sed potius: *per discipulos baptizavit.* Saepius nempe, quod per alium quis fecit, ita exprimi constat, quam si ipse fecisset. Deinde quoque baptisma a Jesu factum vix pro significantiori Messianae dignitatis criterio haberi posset. Exspectabant quidem Judaei, Messiam asseclas suas ad nova sacra baptizando initiaturum esse, sed non minus idem de aliis prophetis exspectasse eos, loco Joan. I. 25. edocemur. — Accedit denique, (quod caput rei est) interpretationem a viris doctissimis datam, contextui consentaneam non videri, quia versu nono ἡ μαρτυρία τοῦ θεοῦ ad omnia ab apostolo supra allata referenda sit. Quo autem jure aqua baptismatis, a Jesu instituti, Dei dici posset de Jesu Messia testimonium? Nimirum ex hac institutione non sequeretur, Jesum Dei voluntate id fecisse, Deumque eo ipso Messiam eum declarasse. *Morus* [23]) jam praeclare annotavit: „alia argumenta praecedere debere ad confirmandam in hominum animis persuasionem de Messianitate Jesu, antequam valeat id: Ego in eum baptizor ut in Dei filium.“

22) In schol. ad N. T. Tom. V. p. 533. edit. quartae.
23) l. c. p. 61.

§. 6.

Aptior igitur contextui consilioque apostoli eorum interpretum sententia videtur, qui τὸ ὕδωρ de baptismate, quo Jesus ipse ad praeceptoris humani generis munus a Joanne baptista initiatus est, intelligere malunt. Nihil enim obstat, quin τὸ ὕδωρ, quod ex locis supra (§. 5) citatis baptisma significare scimus, etiam de hoc baptismate usurpari putemus. Hoc insuper ejusmodi erat, ut inde ad dignitatem Jesu, tamquam filii Dei, non immerito concludere videamur. Eo enim suscipiendo Jesus ipse Messiam sese professus est, per hunc actum solemnem ad divini doctoris munus a baptista inaugurari cupiens, nec aliter de eo baptistam judicasse ex Joan. I, 33. 34. constat. Hic habemus quoque testimonium illud Dei, ad quod apostolus versu nono provocat, voce scilicet e coelo edita: hic est filius meus dilectissimus. Matth. III, 17. — In hac verbi τὸ ὕδατος explicatione, quam etiam viris celeb. *Moro* [24]), *Langio* [25]), *Zieglero* [26]) atque *Stolzio* [27]) placuisse video, subsistendum censeam.

§. 7.

Sed non modo δι' ὕδατος Messiam Jesus se declaravit, sed etiam δι' αἵματος, quam vocem fere omnes interpretes de *morte cruenta, quam*

---

24) l. c. p. 60. „In τῷ ὕδατι autem videtur id intelligi posse, quod Jesus administrante Joanne baptista suscepit aquae baptisma, quippe in quo editum sit illud ipsum testimonium de Jesu servatore, Dei filio; ergo in hoc etiam baptismo Dei est declaratio."

25) l. c. p. 143. „Denn da von einem Zeugnisse Gottes die Rede ist, so ist es wohl passender, an die Taufe Jesu zu denken, bey welcher Gott ihn feierlich für seinen Sohn, oder den Messias erklärte. Matth. III, 17. Joannes I, 33.

26) l. c. p. 111. „Jetzt folgen die drey Zeugnisse, wovon der Apostel im neunten Verse als Zeugnissen Gottes spricht. Also kann sich ὕδωρ nur auf die Taufe beziehen, wobey er von oben herab auf eine feierliche Weise für den Sohn Gottes, d. i. Messias erklärt wurde. Joh. I, 33."

27) l. c. p. 175. Utramquae citat explicationem; hanc tamen, quam amplexus sum, priori anteponit, quia magis congruat cum Matth. III, 17 et Joan. I, 33.

Jesus subierit, intelligendam esse judicant. Quum illa hoc sensu saepius occurrat in sacris litteris, e. gr. 1 Petri I, 18. 19. [28]), quumque h. l. nullus aptior sese offerat, in illo acquiescendum mihi videtur. Discrepant autem interpretum sententiae, quomodo mors Jesu cruenta cum dignitate ejus Messiana manifestanda cohaereat. Equidem Joannem nihil aliud hoc loco dicere voluisse arbitror, nisi hoc: Jesum per mortem suam sese Messiam professum esse, quod eum fecisse e locis Matth. XXVI, 63 64. cf. 66, et Joan. XVIII, 37 scimus. Ob eam declarationem, quam Paulus 1 Tim. VI, 13 τὴν καλὴν ὁμολογίαν vocat, ab iudicibus suis damnatus, et mortem perpessus est, quapropter Joannes eum δι' αἵματος venisse sive morte sua Messiam se declarasse merito dicere poterat. Dei autem testimonium, cujus versu nono mentionem apostolus facit, respectu habito ad mortem Jesu cruentam, in eo constabat, quod multa extra ordinem in rerum natura facta, v. c. motus terrae, subito exortae tenebrae, aliaque, inprimis ipsa resurrectio Jesu e sepulchro, mortem ejus erant secuta. — Itaque non est necesse, ut cum ven. *Knappio* [29]) αἷμα de illa Jesu morte intelligamus, qua nos expiaverit, quod morte sola a Jesu factum esse affirmat vir doctus. Licet enim solemnis N.T. doctrina sit, morte Christi nos cum Deo reconciliatos esse idemque Joannes ipse doceat (cf. cap. I, 7. αἷμα Ἰησοῦ Χριστοῦ καθαρίζει ἡμᾶς ἀπὸ πάσης ἁμαρτίας); tamen non solum legimus saepe in epistolis Paulinis [30]) eundem effectum religioni servatoris tributum, sed etiam a scopo Joannis, qui nostro loco, quae Jesum Messiam demonstrare possint, Christianis in memoriam revocare studet, alienissimum fuisse videtur, de morte Jesu expiante monere. Nempe apostolus, si argumenta pro Jesu Messia proponit, ad illa imprimis provocare solet, quae in sensus incurrunt

---

28) Vid. vener. *Rosenmuelleri* Scholia ad h. l. et ill. *Pottii* edit. epp. cath. Vol. II. p. 30. seq. et p. 50 seq.

29) l. c. p. 180 seq.

30) V. c. 1 Cor. I, 30, Phil. III, 9 et 10. Docet his locis Paulus: qui doctrinam Jesu sequatur, ejusque praeceptis praestantissimis consentaneam degat vitam, eum bonum evasurum et a vitiis ideoque simul vitiorum poenis liberatum iri.

(cf. ev. cap. XX, 31 et ep. noſtrae cap. I, 1. 2. ὃ ἀκηκόαμεν, ὃ ἑωράκαμεν); ejusmodi vero non eſt expiatio per Chriſtum facta, ſed ad philoſophiam de finibus mortis ipſius pertinet. — Quae vero *Boltenio* [31]), et paucis aliis verborum τῷ ὕδατος et τῷ αἵματος placuit interpretatio, ea ſane omnium minime probari poteſt, ſi tota apoſtoli argumentandi ratio ſpectetur. Cogitandum ſcilicet eſſe, opinabatur vir doctus, de aquâ et ſanguine, quem e latere Jeſu profluxiſſe Joannes in ev. cap. XIX, 34 narraverit. At vero hoc ſenſu adoptato, unum deeſſet teſtimonium, quum e verſu octavo perlucide appareat, tria eſſe allata: per aquam autem et ſanguinem, ita verbis explicatis, ſola mors Chriſti indicaretur. Praeterquam equidem non video, quomodo quis hac re perſuaderi queat, Jeſum fuiſſe Meſſiam, aut quomodo Dei de Meſſia declarationem nominaremus id, quod e latere Jeſu ſanguis et aqua profluxerit.

§. 8.

Quid verba proxime ſequentia ſibi velint: οὐκ ἐν τῷ ὕδατι μόνον, ἀλλ' ἐν τῷ ὕδατι καὶ τῷ αἵματι, et quam ob cauſam ab apoſtolo addita ſint, non ſatis liquet. Fortaſſe illis ſubjunctis, Jeſum *nunquam*, nullo vitae ſuae tempore, neque in auſpiciis neque in fine muneris a Deo ſibi demandati (baptismate [ὕδατι] enim illud ſuſcepit morte [αἵματι] ab illo receſſit) dignitatis Meſſianae ſenſu deſtitutum fuiſſe, ſemperque teſtimonio Dei (ad quod verſu nono mox provocatur) adjutum, lectores docere voluit, eo cupiens fidem ipſorum firmare. Neque tamen illis contradixerim, qui apoſtolum contra perverſitatem quorundam, qui Meſſia cruci affixo offendebantur, repetita voce αἵματος pugnaſſe contendant. Plurimos enim Judaeorum ἐχθροὺς τοῦ ϛαυροῦ τοῦ Χριϛοῦ (Phil. III, 18) fuiſſe, nec niſi Meſſiam potentem, externo

---

31) *Boltenius* l. c. p. 226. not. verba: ὁ ἐλθὼν δι' ὕδατος καὶ αἵματος germanice ita expreſſit: „er erſchien als wahrer Menſch mit *Waſſer und Blut, wie ihm bey ſeinem Kreutzestode aus der Seite floſs.*“

splendore conspicuum, gentis suae a jugo Romano liberatorem, non vero humilem, ignominiosae morti obnoxium eumque τῆς δικαιοσύνης τῶν ἀνθρώπων auctorem exspectasse, ideoque Jesum supplicio affectum repudiasse inter omnes constat, cf. Joan. XII, 34. Rom. IX, 31—33. 1 Cor. I, 23. Gal. V, 11. Ne ab ejus generis hominibus Christiani seducerentur, ut caveret apostolus, mortem Jesu denuo memorare poterat, docens, tantum abesse, ut dignitas ejus Messiana illa morte diminuta atque obumbrata, ut potius in lucem posita atque magis declarata sit.

§. 9.

Quae huc usque apostolus Messiae dignitatis Jesu vindicandae causa attulerat, nihil aliud continent, nisi Jesu ipsius professionem, qui δι' ὕδατος atque δι' αἵματος se Messiam declaravit, cui si fides praebenda sit, necesse est Dei testimonium accedere. Quare subjungit apostolus: Καὶ τὸ πνεῦμά ἐστι τὸ μαρτυροῦν. Haec verba me quidem judice, non aliam sententiam admittunt, nisi illam jam a *Hugone Grotio* et vener. *Knappio* defensam, qui πνεῦμα de πνεύματι θεοῦ sive de illa vi divina intelligunt, quae per Jesum et pro Jesu, ut ei fidem faceret, miranda opera patravit. Τὸ πνεῦμα igitur τὸ μαρτυροῦν et ἡ μαρτυρία τοῦ θεοῦ mere essent synonyma. Potest vero haec μαρτυρία τοῦ πνεύματος sensu latiore et strictiore accipi. Sensu latiore non modo omnia complectitur, quae Deus ratione insolita fecit, ut confirmaret persuasionem animorum, Jesum esse filium suum, sed etiam Jesu ipsius praeclara opera a virtute divina manifeste procedentia [32]). „Deus enim, ut *Grotii* verbis utar, hunc honorem ei concessurus non fuerat, si falsum se filium,

32) Cel. *Gablerus* in not. ad ven. *Ziegleri* disquis. l. c. p. 113. πνεῦμα de illa vi divina tantum intelligit, quae Jesu ipsi inerat, et per ejus miracula sese ostendebat. „Auch eine andere Erklärung, inquit, scheint Aufmerksamkeit zu verdienen, nach welcher πνεῦμα den in Jesu selbst besonders durch Wunder wirksamen Gottesgeist, der ein einleuchtender und glaubwürdiger (ἀληθὴς) Beweis der Messiaswürde Jesu nach Johannes war (Joh. X, 37. 38. XX, 30. 31.), bezeichnet."

Dei dixiſſet, id eſt, ſi blasphemus fuiſſet.“ Joan. X, 36. Strictiore vero ſenſu ἡ μαρτυρία τῦ πνεύματος ad illa miracula ſola referenda eſt, qualia, ut ſupra monuimus, in actu inaugurationis Jeſu baptismum in Jordane ſuſcipientis, vocem illam a coelo auditam Matth. III, 17, et ipſius morte defuncti reditum in vitam fuiſſe ſcimus, quo imprimis Jeſum pro Meſſia a Deo declaratum eſſe Rom. I, 4. expreſſis verbis apoſtolus Paulus affirmat.

Senſu, quem modo expoſui (quo alibi quoque in N. T. v. c. Matth. XI, 28. Luc. XVI, 20. cf. v. 31. Act. X, 38 occurrit) verbum τῦ πνεύματος accipiendum eſſe, inde mihi probabile eſt, quod etiam aliis in locis ejusmodi opera, a vi atque auctoritate divina profecta, a N. T. auctoribus μαρτυρία θεῦ nominantur. cf. Jo. V, 32 36. X, 25. Hebr. II, 4. — Sed ſi quem fortaſſe offendat haec interpretatio, qui verba: τὸ πνεῦμα τὸ μαρτυρῶν et ἡ μαρτυρία τῦ θεῦ ſynonyma hoc loco eſſe ſibi perſuadere nequeat, et πνεῦμα de doctrina Jeſu explicare malit, illi non prorſus contradixerim. Saepius enim doctrina Jeſu apud N. T. ſcriptores voce πνεῦμα denotatur v. c. Joan. III, 5. IV, 63. 1 Cor. II, 12 (cf. vener. *Schleusneri* Lex. N. T.). Optime vero Dei de Jeſu Meſſia teſtimonium haberi poteſt illa religio, cui divinum quoddam ineſſe propter ejus praeſtantiam nemo facile negabit, quo quilibet ad firmiſſimam perduci queat perſuaſionem: praeceptorem qui eam docuerit, a Deo ipſo miſſum eſſe. Equidem tamen hanc ſententiam tueri nollem, quia nimis arguta atque altius petita videatur. Illi quoque quae *Zieglero* noſtro placuit, τῦ πνεύματος explicationi, qua pro ἐγὼ πνευματικος dictum ſit, ita ut Joannes ſe ipſum teſtem exhibeat [32]) nonnulla

32) l. c. p. 112. 113. „Die Meinung des Apoſtels iſt dieſe: Ueberdem kann ich es ſchon als ein wahrhaft begeiſterter göttlicher Lehrer bezeugen, daſs Jeſus der Sohn Gottes oder Meſſias iſt, denn der göttliche Geiſt kann nur Wahrheit beſtätigen, und ich auch nur, da ich von dem göttlichen Geiſte belebt bin.“ Videtur hanc *Ziegleri* interpretationem ſecutus eſſe b. *Bolteuius*, verba textus noſtri ita vertens: „und *ein geiſtlicher Lehrer* betheuert die Zuverläſſigkeit ſeiner Erzählung.“

haud levis momenti, quod pace viri S. V. dixerim, obstare videntur. Primum enim hujus usus loquendi exempla afferri posse, dubitem. Capite IV. epistolae nostrae v. 1—6. πνεῦμα quidem πνευματικον in abstracto significare negari non potest, sed dubium remanet, an etiam πευματικον notare in concreto, sive pro: ἐγὼ πνευματικος dici queat. Deinde vero Joannes, si alibi suum ipsius testimonium profert, semper de iis loquitur, quae audiverit aut viderit, sive ut praesens testis perceperit, numquam autem ad πνεῦμα suum provocat, cf. init. epistolae nostrae et ev. Joan. XIX, 35. XXI, 24. Denique etiam vereor ne, hac explicatione admissa, apostolus in orbem demonstravisset, quippe qui loco nostro argumentum pro Messianitate Jesu inde repetat, quod πνευματικος hoc testatus sit, cujus tamen criterium cap. IV, 2. 3. in eo posuerat, quod Jesum Messiam esse profiteatur. Praeterea ab omni probabilitate abhorret, Joannem se ipsum una cum ὕδατι et αἵματι tertium testem Messianae dignitatis Jesu sistere voluisse.

§. 10.

Eadem, quam priori voci τὸ πνεύματος inesse arbitror, significatione posterius πνεῦμα etiam accipiendum mihi videtur in verbis, quae subsequuntur: ὅτι τὸ πνεῦμα ἐστιν ἡ αλήθεια, ita ut conjectura non opus sit, a cl. *Stolzio* proposita, qui pro πνεῦμα legere mavult τουτο. Nempe rationem affert apostolus, cur testimonio spiritus divini habenda sit fides. Ὅτι significat hic, *siquidem, nimirum*, ut saepius in N. T. v. c. Rom. X, 9. Col. I, 19. Αλήθεια idem est quod ἀληθὲς, ut Joan. XVII, 17. Simili ratione supra Cap. IV, 8. apostolus dixerat: Θεὸς ἐστι ἡ ἀγάπη.

§. 11.

Jam, quidnam pondus ad demonstrandam Jesu Messianam dignitatem habeant testimonia hucusque allata, uberius apostolus exponit, monens lectores, non modo triplex, sed Dei etiam ipsius testimonium reperiri. Ὅτι τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες. Duorum aut trium hominum testimonium rem ratam faciebat apud Judaeos; secundum enim

legem Mosaicam ἐπὶ στόματος δύο μαρτύρων ἢ τριῶν σταθήσεται πᾶν ῥῆμα Deut. XVII, 6. XIX, 15. ad quam legem ipse Jesus provocat Matth. XVIII. 16. et Joan. VIII, 17. 18. Apostolum non minus loco nostro ad hunc usum respexisse, patet e commate 9, ubi testimonium hominum admitti et vim probandi habere dicit. Idem igitur est, ac si dixisset: Habemus hic, qui ad confirmandam rem apud nos requiritur, sufficientem testium numerum; trium enim testium habemus auctoritatem; res igitur, quam testantur, nullis dubiis obnoxia est. — Ὅτι, ut aliis locis v. c. Matth. XIII, 13. cf. Marc. IV, 12. Joan. VII, 35, hic quoque positum esse puto pro ἵνα, *ita ut*. „Ita ut tres nobis sint testes." Caeterum haerendum non est in eo, quod apostolus genus neutrum cum masculino permutaverit atque scripserit: τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες pro τρια ἐστι τα μαρτυροῦντα, ut scribere debuisset, trium substantivorum antecedentium generis neutrius (ὕδωρ, αἷμα et πνεῦμα) habita ratione. Nam ejusmodi constructio ad sensum infrequens non est, saepiusque quicquid pro teste adducitur, tamquam persona spectatur. Cf, Joan. XVI, 13. 14, ubi ἐκεῖνος ad τὸ πνεῦμα refertur et Cap. XVII, 2., ubi αὐτοὶ iidem sunt, qui antea πᾶσα σὰρξ nominati erant. Vel inanimas res quandoquidem personarum munere fungi et pro testibus haberi, *Grotius* et *Knappius* recte monuerunt, ad loca Genes. XXXI, 48. 51. Jos. XXII, 27. XXIV, 27 provocantes.

§. 12.

Magnam vero horum testium esse auctoritatem, fidemque illis deberi, affirmat Joannes additis verbis: καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἓν εἰσι, *consentiunt inter se idem testificantur*. Phrasin enim ἓν εἶναι, εἰς τὸ ἓν εἶναι alio sensu accipi non posse, omnes N. T., quibus occurrit, loci satis probant. 1 Cor. III, 8. Joan. XVII, 11. 21. 22. Jo. X, 30. Ephes. II, 14. Semper indicat consensionem in eundem finem, sive consensionem animorum ac voluntatis. Sic apostolus, ut testimonium horum testium a se allatorum magni momenti esse doceat, ad illorum consensionem provocat, prorsus simili ratione, qua Jesus loco Joan. VIII, 17. 18. idem fecerat: Ἐν τῷ νόμῳ τῷ ὑμετέρῳ γέγραπται, ὅτι δύο ἀνθρώπων ἡ μαρτυρία ἀληθής ἐστιν. Ἐγὼ εἰμὶ ὁ μαρτυρῶν περὶ ἐμαυτοῦ, καὶ μαρ-

τυρεῖ περὶ ἐμοῦ ὁ πέμψας με ὁ πατήρ. Jesus ipse de se testificatus erat, ἐλθὼν δι' ὕδατος καὶ δι' αἵματος, Messiam se esse; et Deus idem testatus est διὰ πνεύματος; neutiquam igitur dubitari potest, testes sic plenissime consentientes verum affirmare.

§. 13.

At non solum trium testium consensu, qui inter homines ad testimonium fide dignum requiritur, testimonium illud de Jesu Messia nobis se commendat, sed etiam eo, quod divina auctoritate nitatur, ideoque a Deo ipso profectum esse dici queat. Id quod commate 9 apostolus docet. „Si hominum testimonium admittimus, Dei testimonium „adhuc gravioris momenti est. Atque hic habemus Dei testimonium, „quod de filio suo dedit.“ — Conclusionem a minori ad majus huic enthymemati inesse patet. Idem est, ac si dixisset apostolus: Testimonium hominum admittitis, si a testibus idoneis ac inter se consentientibus firmatum sit; summum igitur nefas esset, testimonium Dei repudiare, qui locupletissimus testis est. Jure vero addi ab apostolo: αὕτη ἐστὶν ἡ μαρτυρία τοῦ Θεοῦ, ἣν μεμαρτύρηκε περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, vereque divinum triplex illud testimonium esse, non est quod dubitemus. Testimonium τοῦ πνεύματος nil erat nisi ipsius Dei testimonium; eorum vero, quae τὸ αἷμα et τὸ ὕδωρ testata erant, nulla esset vis atque auctoritas, nisi auctoritate divina, nisi τοῦ πνεύματος testimonio adjuta et firmata essent.

§. 14.

Quae quum ita sint, impie sentire eos apostolus concludit commate 10, qui huic testimonio divino fidem negaverint, filiumque agnoscere recusent. „Qui credit in filium Dei, Jesum pro filio Dei agnoscit, eo ipso documentum dat, sibi testimonium Dei illud maximi esse momenti.“ (Sensus dictionis: ἔχειν τὴν μαρτυρίαν ἐν ἑαυτῷ non differt a sensu dictionis subsequentis: πιστεύειν εἰς τὴν μαρτυρίαν eiusque, quae versu praeced. legitur: μαρτυρίαν λαμβάνειν.) „Qui fidem Deo denegat, impie de eo sentit, eumque mendacem reddit, veluti falsum de Jesu testimonium protulerit.“ Ita omnia bene cohaerent, nec permutatione lectionis Θεῷ cum υἱῷ, quae criticis testibus non satis probari posse videtur, opus est.

§. 15.

Jam, quid *in theologia dogmatica* locus noſter valere poſſit, videamus. Exſtiterunt nonnulli inter theologos — et adhuc forſan exſtant — qui argumentum pro una trium numinis divini perſonarum eſſentia noſtro in loco viderint eumque claſſicum ad demonſtrandum de trinitate dogma habuerint. Hoc argumentum ſola ἀυθεντία verborum: ἐν τῷ οὐρανῷ — ἐν τῇ γῇ, quae olim commate 7 et 8 recepta erant, nitebatur; his autem ſecundum leges criticas e medio ſublatis, ipſum etiam illud argumentum ex loco expoſito hauriri non poſſe, manifeſtum eſt. Sed ponamus, ut verba ſuppoſita: „tres ſunt, qui in coelo teſtificantur pater, logos et ſpiritus," genuina eſſent, quid inde ſequeretur? Has tres perſonas unam eandemque habere eſſentiam ſive naturam? Minime. Senſus enim nullus alius eſſe poſſet niſi: In coelo tres teſtes affirmant Jeſum Meſſiam eſſe et *hi teſtes in eodem conſentiunt.* Phraſi enim: ἓν εἶναι conſenſum ad idem conſilium eandemve voluntatem, non vero ad eandem eſſentiam ſignificari, jam ſupra (§. 12) monuimus. Quin, ſi noſtro loco de una eademque coeleſtium teſtium *eſſentia* ſermo eſſet, inde ſequeretur de terreſtribus, qui non minus εἰς τὸ ἓν εἶναι dicuntur, idem affirmari, quod quidem abſurdiſſimum.

Licet vero locus noſter ad dogma de trinitate probandum nihil valeat, uti tamen eo nos poſſe in theologia dogmatica, ad probandam Jeſu divinam dignitatem, quam maxime perſuaſus ſum. Nam tametſi de praeſtantia doctrinae Jeſu, quam dogmatum ſublimitate, praeceptorum ſanctitate, et promiſſionum ad exhilarandos hominum animos praecipua vi omnes alias antecellere ſcimus, atque de ſalvatoris ſanctimonia et morum integritate prorſus taceamus, ſolius tamen πνεύματος divini, quo illum inſtructum et adjutum videamus, ad fidem ipſi faciendam permagnam eſſe vim fateamur neceſſe eſt. Ille opera patravit, qualia neminem, niſi quocum Deus ſit, perficere poſſe coaevi ejus judicabant, ille aegrotos valetudine, coecos viſu, defunctos aut pro mortuis habitos vita donavit, ipſe, poſtquam mortuus et ſepultus erat, e ſepulchro redivivus exiit; et qualecunque tandem de ejus modi rebus geſtis, miraculi ſpeciem prae ſe ferentibus, judicium feratur, eum tamen, qui illis conſpicuus fuit, inter caeteros mortales ſummopere a Deo inſignitum atque talem monſtratum

esse, cui vel optimus cujuscunque et seculi et gentis par nec fuerit, nec futurus sit, nemo facile infitias ibit. Quare nomine υἱὸς τοῦ Θεοῦ, quod ipse de se praedicavit quodque ei Johannes his versibus vindicavit, dignissimus merito est habendus.

§. 16.

Quibus expositis restat, ut nonnulla de modo, quo haec περικοπὴ *homiletice* tractanda sit, adjiciam. Primum obiter tantum moneam haecce. Fac, ut inde dogma de trinitate demonstrari posset, a fine tamen orationum sacrarum plane abhorreret, si quis in suggestu de re dicere vellet quae vel a peritioribus et perlonga cogitandi excercitatione cultissimis difficillime intelligitur. Nam quum cuilibet oratori ecclesiastico, ad populum loquenti ille scopus praescriptus sit summus, ut auditorum animos commoveat ad bene recteque cogitandum et agendum, ideoque ex aliqua materia practica deducat praecepta, vanum sane ac irritum foret, si de trinitate verba facere vellet, rem tractans, quae coram mixto auditorio populariter et practice, ut esset necesse, exponi non posset. — Re vera autem locus explicatus opportunitatem praebet loquendi de divina Christi, salvatoris humani generis, dignitate (v. §. 15), et de summa vi, quam mors ejus cruenta ad mortalium felicitatem promovendam habeat. Horum dogmatum inprimis practicae rationes concionatori illustrandae essent, argumentaque ipsa, quibus demonstrari possunt, quasi aliud agendo, forsitan in priori sermonis parte proferenda. Equidem enim arbitror, principalia nostrae religionis capita theoretica, v. c. existentiam Dei, divinam salvatoris dignitatem, praestantiam Jesu doctrinae aliaque ejusmodi in orationibus coram populo e suggestu habendis non uberius probanda, sed potius ut omnibus religione christiana iuste imbutis cognita et jam satis probata esse adsumenda. Vereor enim, ne auditores, si concionator de industria talia themata exponeret, alii parum attenti essent, secum facillime cogitantes, cur denuo nobis demonstrantur, quae jamdudum cognovimus, alii vero infirmiores fluctuantesque in fide sua redderentur. Quare ejusmodi doctrinae capita maxime catecheticis institutionibus explananda esse videntur, ita ut in animis juvenilibus de existentia Dei, numinis sanctissimi, omnipotentis, sapientissimi atque benignissimi, de

auctoritate Chriſti divina et de immortalitate animae viva, hilaris eademque firmiſſima fides efficiatur.

Sed omittamus haecce. Poteſt quoque, ſi praecedentes verſus, uti par eſt, ad hanc περικοπὴν connectamus, in coetu Chriſtianorum diſſeri de victoria, quam verus religionis chriſtianae diſcipulus de mundo i. e. de mundanis rebus virtuti perniciosis reportare debeat. Eo enim conſtat haecce victoria, ut Chriſti aſſecla non ſolum ab omnibus erroribus, hoc in mundo regnantibus ſe ipſum liberet, ſed etiam vitiis pravisque cupiditatibus ſe regi non patiatur. Inde praeclarae cohortationes derivari poſſent. Deinde exemplo ejus, qui δι' ὕδατος καὶ δι' αἵματος venit et ab initio usque ad finem vitae ſuae publice ſeſe talem praebuit, qualis fuit, monſtrari poterit, quid nos, ejus diſcipulos, in profeſſione religionis noſtrae deceat. Nempe res non eo perficitur, ut baptizati ſimus et per baptisma nomen Chriſtianorum prae nobis feramus; ſed potius exercendum nobis eſt, quod doctrina Jeſu a nobis poſtulat, agendum, quod agere praecipit, vitandum, quod vetat, patiendum, quod officium amorque virtutis exigunt; ita enim ſimiles ei fiemus, qui pietate atque obſequio erga Deum ductus doctrinae ſuae atque virtutis cauſa omnium generum malis ſupplicioque affici non recuſavit. Mors denique cruenta, de qua auctor epiſtolae loquitur, multifariam occaſionem dat, de finibus hujus mortis, de animi magnitudine, quam Jeſus in illa toleranda manifeſtavit, et praeſertim de amore erga homines, cujus eam oppetendo documentum dedit, quo nullum majus dare potuit, ita diſſerendi, ut inde Chriſtianorum mentes ad reverentiam ſalvatori debitam, gratam ejus meritorum recordationem et vitae ſecundum ejus praecepta pie, juſte ac ſobrie agendae ſtudium quam maxime excitentur.

§. 17.

Sed ſufficiant haecce. In expoſitione exegetica loci Joannei ne quid proferrem vel loquendi uſui, vel legibus hermeneuticis contrarium cavere ſtudui et veritatem, utut perſpicere eam licuit, me amplexum fuiſſe mihi conſcius ſum. Quae vero forſan minus convenienter ac juſta reprehenſione digna dixerim, juvenili aetati, ejusmodi rebus tractandis non ſatis adſuetae, ut benigne ignoſcant aequi lectores, etiam atque etiam rogo.

THESES AD DISCEPTANDUM PROPOSITAE.

1. Notio *religionis* extra omnes quoscunque limites disciplinae recentioris, quam *Aestheticen* vocant, stabilienda est et *religio* nonnisi *καταχρηστικῶς poësis* dicitur.

2. Vehementer errant, qui notiones ad religionem et morum disciplinam pertinentes, coram populo *explicare* et *docendo illustrare*, *oratoris sacri esse negant*, solummodo ei praescribentes, varios animi humani sensus suadela oris et cordis afficere, ita ut auditores aeternum et infinitum, quod dicunt, intueri valeant.

3. Sententia eorum, qui saepius conciones textuales s. analyticas (Homilieen dicunt), quam conciones liberas s. syntheticas (Predigten) coram populo habendas esse contendunt, non omnino comprobari potest.

4. Sententia eorum, qui Pentateuchum Mosaicum *epos* esse statuerunt, congruit nec consilio et *οἰκονομίᾳ* librorum, nec aetati, qua confecti sunt atque compositi.

5. Licet negari nequeat, *libris Mosaicis* nonnulla μυθικῶς cogitata et expositа inesse, tamen justo audacior est opinio eorum, qui hisce libris nuper omnem auctoritatem historicam denegarunt.

6. Praestantissimum carmen *Jobi* nomine inscriptum a nullo caeterorum V. T. librorum auctore conscriptum putari potest.

7. Qui, ut nuper ill. *Fr. L.* comes *de Stollberg*, libros V. T. τυπικῶς interpretandos esse et censent et praeeunt, a sanae hermeneutices praeceptis mirum in modum discedunt.

8. Qui prooemium *Joannis* (Cap, I, 1—18) a seriori manu adsutum esse contenderunt, facilius refutari possunt, quam qui evangelii *Matthaei* Caput 1 et 2 antiquissima aetate defuisse probare studuerunt.

9. Homines pravos in vita aeterna aeternas poenas daturos esse, tam philosophicis quam biblicis rationibus probari potest.

10. Opinio eorum, qui Jesum (Matth. V, 34—38 coll. Jac. 5, 12) omnia quaecunque juramenta interdixisse contendunt, repudianda est.

Jesus subierit, intelligendam esse judicant. Quum illa hoc sensu saepius occurrat in sacris litteris, e. gr. 1 Petri I, 18. 19. [28]), quumque h. l. nullus aptior sese offerat, in illo acquiescendum mihi videtur. Discrepant autem interpretum sententiae, quomodo mors Jesu cruenta cum dignitate ejus Messiana manifestanda cohaereat. Equidem Joannem nihil aliud hoc loco dicere voluisse arbitror, nisi hoc: Jesum per mortem suam sese Messiam professum esse, quod eum feciisse e locis Matth. XXVI, 63 64. cf. 66, et Joan. XVIII, 37 scimus. Ob eam declarationem, quam Paulus 1 Tim. VI, 13 τὴν καλὴν ὁμολογίαν vocat, ab iudicibus suis damnatus, et mortem perpessus est, quapropter Joannes eum δι' ὕματος veniisse sive morte sua Messiam se declarasse merito dicere poterat. - Dei autem testimonium, cujus versu nono mentionem apostolus facit, respectu habito ad mortem Jesu cruentam, in eo constabat, quod multa extra ordinem in rerum natura facta, v. c. motus terrae, subito exortae tenebrae, aliaque, inprimis ipsa resurrectio Jesu e sepulchro, mortem ejus erant secuta. — Itaque non est necesse, ut cum ven. *Knappio* [29]) αἷμα de illa Jesu morte intelligamus, qua nos expiaverit, quod morte sola a Jesu factum esse affirmat vir doctus. Licet enim solemnis N.T. doctrina sit, morte Christi nos cum Deo reconciliatos esse idemque Joannes ipse doceat (cf. cap. I, 7. αἷμα Ἰησοῦ Χριστοῦ καθαρίζει ἡμᾶς ἀπὸ πάσης ἁμαρτίας); tamen non solum legimus saepe in epistolis Paulinis [30]) eundem effectum religioni servatoris tributum, sed etiam a scopo Joannis, qui nostro loco, quae Jesum Messiam demonstrare possint, Christianis in memoriam revocare studet, alienissimum fuisse videtur, de morte Jesu expiante monere. Nempe apostolus, si argumenta pro Jesu Messia proponit, ad illa imprimis provocare solet, quae in sensus incurrunt

---

28) Vid. vener. *Rosenmuelleri* Scholia ad h. l. et ill. *Portii* edit. epp. cath. Vol. II. p. 30. seq. et p. 50 seq.

29) l. c. p. 180 seq.

30) V. c. 1 Cor. I, 30, Phil. III, 9 et 10. Docet his locis Paulus: qui doctrinam Jesu sequatur, ejusque praeceptis praestantissimis consentaneam degat vitam, eum bonum evasurum et a vitiis ideoque simul vitiorum poenis liberatum iri.